

QVÆSTIO V.

Quare ab Evangelista notatur tempus, quo mater filiorum Zebedæi accessit?

41.

RESPONDEO primò. Quod cum Evangelista ait: Tunc accessit mater filiorum Zebedæi. Notanter aduertit tempus, quo mulier hæc quærit, & ambit pro filiis primas sedes. Quando nempe Dominus diserebat de sua morte, & passione. Ut exprimat, quam cæca, ac importuna sit humana ambitio, ac illius cupiditas. Discipuli crucem Magistrum audiunt, & ipsi thronum rogant; Dominus patibulo traditur, & discipuli dominationem sectantur; Dominus flagellis addicitur, & discipuli delicias intendunt, inter duras passiones, anxietates, vanos splendores ambiunt, hominum cupiditas opportunum tempus non expectat, sed semper ubique se ingerit importuna, & ideo ipsi à Domino audiunt: Nescitis quid petatis. Valdè enim à prudentia alienum est sub Magistro cruci tradito discipulum delicatè agere. In monte Thabor astant cum Christo Moyse, & Helias, Et dicebant: excessum eius, Luc. 9. num. 31. Christi scilicet exitum, Ex hoc mundo ad Patrem. Tunc Petrus ad Magistrum ait: Bonum est nos hic esse. Id dixit Petrus teste D. Luca: Nesciens quod diceret. Deniat enim à prudentia, ac recta ratione homines de vita agere, cum Deus de sua nece, ac cruce agit.

Ambitio opportunum tempus non expectat.

Luc. 9.

42. Hieron. Euthym. Beda.

Psal. 45. Christi resurrectio ad nostram promotionem.

Basil.

43. Basil. Sel. Sub Christi passione optima occasio ad obtinendam vitam.

44. Basil. Seleuc.

Secundò. D. Hieron. Quia post omnia dixerat Dominus, & tertia die resurget: putauit eum mulier illico regnaturum. Idem docent Euthym. Beda, & alij. Cum mulier audisset Domini resurrectionem, & tertia die resurget, certo credidit ipsam futuram ad magnam suorum promotionem, in qua filiis suis primas sedes appetit. Adiuuabit eam Deus mane diluculo, Psal. 45. num. 6. Cur auxilium promittitur ciuitati sanctæ à Deo illi ad futuram summo mane? Mane diluculo gloriosè resurrexit Dominus, & inde peculiariter matutinum tempus ad nostrum adiuuamen determinatur. D. Basilius ibi: Quoniam, ait, diluculo resurrectio futura erat: adiuuabit eam Deus mane diluculo, hoc est, victoriam contra mortem die tertia matutina consecit. Expende illud, Quoniam diluculo resurrectio futura; adiuuabit eam Deus, per suam resurrectionem commoda nostra ordinantur à Domino.

Tertiò. D. Basilius Seleuc. orat. 24. Vis, ait, mulieris fidem cernere? Supplicationis quere tempus: quando libellum supplicem offert? Quod postulationis tempus? Crux erat parata, passio apparebat, Iudeorum erat instructus exercitus. Tempore, quo Christus de sua morte, ac passione agit, accedit rogans, & petens pro filiis. Fides mulieris ex omnibus occasionibus ad bona obtinenda illam præstantissimam iudicauit, in qua mortis, ac crucis Christi mysterium fulgebat, sub cuius vmbra omnia à se facile inuenienda certo credidit.

Quartò. Idem D. Basil. Seleuc. citata orat. sic ait: Anteuertit, ut apparet, latronis voces mulier. Ille in cruce orationes fundebat: Memento mei, cum veneris in regnum tuum. Hæc autem crucem pro regno supplicabat: Dic, ut sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo. O de-

sidarium passione maius. Componit S. Pater hanc mulierem cum Latrone in Cruce ad Christum clamantem: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum, Luc. 23. Quisnam ex his laudabilior? Vterque regnum postulat; Latro: Memento mei cum veneris in regnum tuum; mulier etiam, ut sedeant in regno tuo; de regno spiritali loquitur Seleucus cum Imperfecto allegato in expositione. Latro postulauit regnum, cum fontes Saluatoris pleno amne manabant, & tota terra sacratissimo sanguine irrigabatur. At mulier solum Christi vulnera, & mortem audiens regnum affectat, ex quo mulier superior: Anteuertit, ut apparet, latronis voces hæc mulier. Quia ante Christi mortem, & crucem iam cœlestis regni desiderio flagrabat. Quid mirum, quod latro tanto desiderio inspectis vulneribus Christi ad cœleste regnum afficeretur, quando passio Christi proposita ante eius sanguinis effusionem tantum valet animas fecundare, ac ad cœlestium desiderium promouere, ac inflammare?

Luc. 23.

Christi passione maxime inflammatur anima ad cœlestia.

45.

Matth. 16. Homo pro suo lucro alienam damnum contemnit.

Chrysof.

D. Thom.

46.

1. Reg. 21.

1. Reg. 22.

Ut David sibi provideat, nã curat de Sacerdotibus.

Abulens.

Quintò. Tunc accessit moraliter dico, postulans mulier primas sedes filiis suis, quando iam prima sedes assignata, & promissa erat Petro, ei dictum erat à Christo: Tibi dabo clauis regni cœlorum, Matth. 16. num. 19. Quomodo ergo audeat mulier eam petere, & procurare filiis suis, quod in magnum dedecus, ac ignominiam Petri cedebat? Imò ideo petunt, vt notant D. Chrysofom. homil. 66. Timebant verò, scilicet filij Zebedæi, Petrum sibi preferri. D. Thomas in præfenti, ait: Sciendum est, quod Iacobus, & Ioannes magis honorabantur à Christo post Petrum, ideo Petrum voluerunt excludere. Hæc est hominum conditio, quod dum proprio commodo, ac vtilitati consulunt, aliorum damna, ac incommoda parumpendunt, qui enim ad proprium lucrum respicit, alienum detrimentum despiciit.

Fugit David à facie Saül in Nobe ad Abimelech Sacerdotem, à quo præfente Doëg Idumæo, postulauit David panes, & gladium, quæ omnia Sacerdos ei dedit, pro gladio gladium Goliath, quem ipse reposuerat in templo, & tandem abiit, 1. Reg. 21. num. 9. Quæ cum agnouisset Saül (nil reges latet) maxime iratus mandauit omnes Sacerdotes, viros, ac mulieres, in Nobe ore gladij interficere, quod cum nuntiatus fuisset David, ait: Sciebam in die illa, quod cum ibi esses Doëg Idumæus proculdubio annuntiaret Saüli, 1. Reg. 22. num. 22. Si ergo David, vt ipse fateatur, optime agnoscebat, quod Doëg illa dicturus erat Saül, Cur coram eo postulat panes, & gladium à Sacerdote, vt ipse ac tota ciuitas in tanto discrimine constituantur? Si capitale tantorum periculum intelligebat, cur illud declinare non curat? David maxime affectauit suæ fami, ac necessitatibus consulere, & cum ad suam propriam conuenientiam esset intentus, vnde parum studiosus exitit periculi vitæ Sacerdotum, ac aliorum, cum enim suæ penuriæ voluisset providere, inde de aliorum tutamine, ac conseruatione oblitus, parum de eis curat. Abulens. quæst. 32. ad cap. citat. 22. Aliqui dicunt, ait, quod David erat in magna necessitate panis, & non poterat habere aliunde panem, ne ergo moraretur, petis panem ab Abimelech, quanquam sciret, ei ex hoc malum futurum. Vide suprâ cap. 16. q. 15. n. 138. 139. & cap. 28. q. 12. *

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

Quare mulier accessit adorans, cum peteret?

47. Abulens.

RESPONDET primò Abulens. quæst. 59. quod mulier Christum adorauit propter summam excellentiam eius diuinitatis, quam in eo agnoscebat. Secundò, quia mulier nunc accedebat ad Christum; & ideo in exordio locutionis conueniens erat, quod adorationem pro honore erga eum exhiberet. Tertiò, D. Thomas, Adorans, ait, quia cum humilitate petijt, sciebat enim, quod Deo semper placet humilis deprecatio, Psal. 101. num. 18. Respexit in orationem humilium, Iudith 9. num. 16. Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

D. Thom. Humilis oratio Deo placet. Psal. 101. Iudith 9.

48. Chrysof.

Quartò. D. Chrysofom. citatus à D. Thoma in Catena: Reuerentia exhibita, ait, petijt ut quod peterit sibi detur. Cum enim mulier spe lucri teneretur, multam reuerentiam, ac adorationem erga eum præbet, ipsa enim reuerentia volebat eum flectere, vt postulata concederet. Naturaliter enim quilibet homo obsequijs inclinatur, honor autem magnum est obsequium præcipuè ad animos natura præstantes, ac nobiles alliciendos, ac mouendos, vnde hæc mulier prius petijt, & postea adorat, vt adoratio pronocet ad exauditionem petitionis. Sic & Archisynagogus cum venerit deprecans pro filia defuncta: Accessit, & adorabat eum, Matth. 9. n. 18.

Qui aliquid procurat, se humiliat, & deicit.

Matth. 9.

49.

Marc. 5.

Isai. 14.

Diabolus etiam dum aliquid procurat, se humiliat.

Hieron.

50.

Transiit Dominus trans lacum Genezareth in regionem Gerasenorum, & ecce homo à Dæmone obsessus, qui habitabat in monumentis, & solus nimis erat, vt nemo posset transire per viam illam, cum agnouisset Domini aduentum: Videns autem Iesum à longe cucurrit, & adorauit eum: & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Iesu Fili Dei altissimi? Marc. 5. n. 6. Dæmon per sui superbiam Christi Domini humanitatem contempnit, celsitudinemque diuinitatis appetiuit, dixit enim: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero altissimo, Isai. 14. num. 13. Vnde ergo ita se humiliter demittit, vt Christi humanitatem adoret, eiusque diuinitatem altis vocibus fateatur? Diabolus, seu multi dæmones, qui erant in illo homine, hoc à Christo obtinere affectabant, vt non expellerentur extra regionem, sed vt permitterentur abire in gregem porcorum qui propè erat: Et deprecabatur eum spiritus dicens: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus, Iudith. n. 12. Diabolus ingenio suo superbissimus, tamen cum à Christo D. vult aliquid impetrare, statim se demittit, & humanitatem sanctissimam, quam aliàs contempserat, nunc humiliter adorat, & veneratur, magnisque vocibus illius celsitudinem proclamat, & diuitigat. Fauet D. Hieronym. in cap. 8. Matth. Non voluntatis ista confessio est, quam præmium sequitur consentis: sed necessitatis extorsio, que cogit inuisor: velut si serui fugitiui, post multum tempus Dominum suum viderent, nihil aliud nisi de verbis deprecantur. Confessio dæmonis non erat ex affectu voluntatis, sed ex spe lucri, ac obtinendi optata.

Dominus ait ob peccata populi Israël se permittere in illo pastores malos, & stultos: ad quos loquens Zacharias Propheta 11. num. 17. ait:

O pastor, & idolum, derelinquens gregem. Hos iniquos gubernatores pastores vocat, vt deuorent oues, carnes comedant, & sanguinem bibant. Idola etiam eos vocat, qui tanquam Deos volunt adorari, vt alijs benefaciant, eisque dona sua concedant: Et sicut à Deo aliquid non obtinetur nisi adorando, & oblectando, ita & ipsi intendunt, vt ab eis aliquid non extorqueatur nisi ueneratione, & obsecratione exhibita. Lyran. puniens malos pastores ad cap. 8. Ezech. Sunt adulatorum idola, ait, quos tanquam Deos colunt, vt per eos valeant promoueri.

Zach. 11. A regibus adoratione aliquid extorqueatur.

Lyran.

QVÆSTIO VII.

Quare mulier audeat primas sedes pro filiis suis petere?

RESPONDET primò D. Chrysof. in Imperfecto homil. 35. Audacem fecerat eam maiorum affectus, & reuerentiam pro Iesu spiritualem uicerat amor carnalis. Cum mulier esset mater, magno affectu tenebatur erga filios, & quia hæc primas sedes maxime ad eorum honorem, ac vtilitatem cedebant, ideo valde confidenter, ac cum multa animi audacia, eas illis procurat, & affectat, amor omnem difficultatem vincit, & superat. Vnde ait D. Ambros. statim citandus: Considerate enim quæ cum filiis, & pro filiis petat: Mater est vitæque, cui pro filiorum honore sollicitate immoderatio quidem, sed tamen ignoscenda mensura uotorum est. Et postea subdit: Etsi error, pietatis tamen error est, nesciunt enim materna viscera patientiam.

51. Chrysof.

Ambros.

52. Ambros. Pro alijs petere excellens.

Secundò D. Ambr. lib. 5. de fide c. 2. Nec inuerecunda, ait, petiit, quæ non sibi, sed liberis consulebat, matrem considerate, matrem cogitate. Etsi mulier errat in petendo, vt ait suprâ citatus S. Pater; habuit tamen fiduciam, & audaciam in petendo, quia non sibi sed liberis postulat, adeo magnum, & excellens est pro alijs agere, vt cum voluntas errat, subleuanda est culpa, si vt alijs consulat, voluntas intendat.

Tertiò. Abulens quæst. 55. Ista mater filiorum Zebedæi ministrabat Christo in expensis Matth. 27. 55. Et erant ibi multe mulieres à longè, quæ secuta erant Iesum à Galilea, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & mater filiorum Zebedæi. Ex quo ait Chrysofom. in Imperfecto homil. 35. Properea sexu fragili, & iam etate defecta, Christi vestigia sequebatur: quia fides nunquam senescit, & religio fatigationem non sentit. Ad nostrum scopum ex factis expensis aliquem maiorem honorem sibi impendendum esse existimauit Salome, & inde audeat pro filiis petere.

53. Abulens.

Matth. 27.

Chrysof.

Ex obsequio maior reuerentia presumitur.

Quartò. Salome consanguinea erat B. Virginis, vt est commune assertum. Imò aliqui testificantur apud Maldonatum, Sororem Beate Virginis fuisse, quod non approbo: iure ergo consanguinitatis, ac propinquitatis merito, filiis suis præsumpsit extorquere principatum, ac primas sedes, ac si Deus tantum filiis suis esset proficiuus, & non alijs, vnde de ea ait D. Ambros. citato loco lib. 5. de fide cap. 2. Merito reprehenditur hæc mulier, quæ speciali quodam priuilegio à Domino postulauit ea, quæ sanctis iudicauit esse donanda, non duobus Apostolis, sed omnibus discipulis. Cœleste munus diuinæ

54.

Maldonat.

Iure consanguinitatis Deum solum filijs suis uoluit.

Ambros.

QUESTIO VIII.

Quare Mater postulat pro filiis, & non potius filij petunt pro se ipsis?

Ivvs Matthæus scribit, quod accessit mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis adorans, & petens. D. verd Marcus cap. 10. num. 35. Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi. Maldonatus existimat. Quod Mater pro se, ac filiis sollicita, sine vilo eorum impulsu postulas primas sedes. Dicitur autem à D. Marco filios idipsum petiuisse, quia mater non pro se, sed pro filiis deprecabatur. Huic sententiæ fauent D. Hilar. Can. 20. D. Ambros. lib. 5. de fide, c. 3. Communis tamen sententia est, quod filij per os matris postularunt, & quod mater inducta, ac persuasa ab eis petierit. Ita D. Chrysof. Pasch. citand. D. Gregor. homil. 27. in Euang. D. August. lib. 2. de consens. Euang. cap. 64. Theophyl. Beda, Haymon, Albert. Magn. D. Thom. Recentiores, Barrad. Cornelius, & alij. Et hoc suaderunt, quia suafortibus filiis Christus respondit: Nescitis quid petatis. Accesserunt ergo filij cum matre, tum ob honorificum comitatum matris, tum etiam ob vehemens desiderium rei petite; & vt simul cum matre postularent, & vt multiplicatis petentibus facilius impetraretur, vt ait Abulens. quæst. 38. Quæstio præsens est, cur mater à filiis inducta pro eis petit, & non potius illi pro se ipsis postulant?

Respondet primò D. Chrysofom. in Imperfecto homil. 35. Ac si ipsi fratres dicerent, si nos rogamus Magistrum, forsitan cæterorum fratrum corda concitemus; & dum nobis duobus volumus, prouidere, inter omnes scandalum excitabimus. Deinde subdit: Submittamus ergo matrem nostram, vt suo nomine deprecetur pro nobis, & sunt duo bona: si enim res ipsa reprehensibilis inuenta fuerit, facile mereretur veniam quasi mulier, ipse enim se excusat errorem. Si autem non fuerit importuna, facilius impetrabit mater pro filiis suis rogans. Submittunt discipuli matrem, quia hunc discursum apud se fecerunt; vel enim si petitio illa iudicaretur à Christo, vt reprehensibilis, minus redargueretur illa, tum quia erat mulier, tum quia mater. Et hoc modo illi verecundiam reprehensionibus declinabant. Si autem petitio esset rationabilis, & non reprehensibilis, facilius impetraret mater, quam filij; præcipue, quia vt ait Chrysofom. ipsa erat iam ætate defecta, & religiosa femina; & ideo haberet multam vim, & efficaciam ad obtinendum. Vnde Ioab quamuis esset generalis præfectus militiæ, & intimus familiaris Dauid, non pro Absalon ipse deprecatur, sed mulierem Thecuam destinat, 2. Reg. 14. n. 2.

Secundò. D. Paschasius lib. 9. in Matth. Valde permoti, ait, ad gloriam satis acute, atque ingeniosè submitunt matrem ad deprecandum pro se: forte, ne vlla suspicio, quod ipsi hoc petierint, nasceretur; & si reprehensio esse posset, feminæ error leuius ferretur. Valde ingeniosus, & acutus est ambitiosus in suis machinationibus, hi duo fratres præmittunt matrem, quia illa facilius impetraret ob rationes proximè adductas; deinde cum ex appetitu ad tantam gloriam, iram, & reprehensionem summi Principis timeant, matrem obiciunt, vt in eas vis ira, ac reprehensionis maxime stragatur;

58. D. Matth. D. Marc.

Maldon.

Hilar. Ambros. Chrysof. Paschas. Gregor. August. Theophyl. Beda. Haymon. Alb. Magn. D. Thom.

Abulens.

59. Chrysof.

Femina valde efficax ad impetrandum.

1. Reg. 14

60. Paschas. Ambrosius ingeniosus parentes periculo exponit.

gatur; ambitiosi tanto appetitu mouentur, vt optatis bonis adimpleantur, vt nulli parcant, sed patrem, & matrem periculo exponant.

61. Abulens.

Tertiò. Abulens. quæst. 54. Quia isti duo fratres erant Christi domestici, & licet quis magis familiares suos, quam extraneos diligat, extraneos tamen magis honorat. Vnde Iacobum, & Ioannem tanquam familiares suos, et si Christus attenderet, magis tamen attenderet, ac magis honoraret matrem, vt pote extraneam, petitaque illi concedens.

62. Abulens.

Quartò. Citatus Abulens. ead. q. 54. Quia facilius, ait, concederet Christus matri, quam filiis, quia forte illa aliquando adiuuauerat Dominum nostram sororem suam ad nutriendum Christum. Ex his licet argumentari, si Christus Dominus tam liberalis præsumebatur erga adiutricem nutriticæ suæ, quanto magis liberalis erit erga perpetuam nutriticem, ac naturalem matrem suam. Confirmatur, quia ne Christus Dominus suæ nutriticæ aliquid denegare videretur non voluntatis, sed potestatis defectum insinuasce scribitur; dixit enim: non est meum dare vobis. Eleganter D. Ambros. lib. de fide, cap. 2. Dominus, ait, cali, atque terre verecundatur (vt secundum assumptionem carnis loquar) & vt ipsius verbo vtiar, confundebatur matri pro filiis postulantieriam suæ sedis consortium denegare. Quanto magis matri suæ nihil denegabit, sed affluenter cõcedet omnia.

Eximia Christi liberalitas erga B. Virginem.

Ambros.

63. Chrysof.

Quintò. Pulchrè D. Chrysof. homil. 66. De his filiis Zebedæi, ait; Nam ipsi pudore victi matris patrocinium assumpserunt. Non negotiantur per se, sed matrem submitunt, erubescunt ipsi postulare; imo ita erubescunt petere, vt obseruarent secretam, & occultam occasionem ad petendum: Assumpsit Iesus duodecim discipulos secreto. Tunc accessit mater filiorum Zebedæi. Hoc est quando Christus solus cum solis discipulis à turba recessit. Imò explorantur occasionem, vt seorsim à reliquis discipulis ad Christum conuenirent. Nam, vt scribit D. Marc. 10. n. 32. Erant in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos Iesus; & accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes, &c. Hoc est cum Dominus incederet separatim à reliquis discipulis, hi duo preuolarunt, vt præ verecundia occultè honorem peterent; vt notat cit. Chrysof. Quoniam, ait, humano more id faciebant, coram omnibus erubescunt dicere; seorsim ab aliis discipulis Christum accipientes interrogauerunt. Præcesserunt enim, inquit, vt remotis arbitris occultius loquerentur. Vict. Antioch. ad cit. cap. Marci: Rubore suffusus, ait, ne res à cæteris deprehendatur extra discipulorum consortium audeant. Imò ipsa mater accedens erubuit petere ita obmutescens, vt à Christo ad loquendum excitaretur.

Pudore afficiuntur, dum primas sedes petunt.

Marc. 10.

Pra verecundia secreto petunt.

Antioch.

64.

Vnde tanta verecundia afficiuntur Iacobus, & Ioannes, quia volebant petere locum dexteræ, & sinistrae à Christo, cui bene sciebant esse gratissimos, quia tamen petitura sic erubescunt. Nam, vt ait Seneca: Durum illud verbum ingenio animis, rogo. Ab viro suo Othoniel inducitur Axa, vt à parente suo Caleb peteret agtum. Tunc Axa, cum suspirasset sedens in asino, parenti ait; terram arenam dedisti mihi, &c. Iud. 1. n. 14. Si Axa felicissimis nuptiis fruebatur, cur suspiria emittit, quæ indices sunt tristitiæ? Abulens. q. 17. Cum inciperet petere, erat sibi magnus rubor. Cogebatur Axa partem agelli à charissimo parente petere, & inde præ animi nobilitate multo tempore premebatur; nobilitate ingenio grauissimum est petere etiam à parente, ac intimo familiari. Ioseph secundus erat à Rege, eique intimus familiaris, & tamen cum iuxta parentis sui mandatum, eius cadaver esset elaturus

Seneca.

Abulens.

Valde durum viro nobili, & ingenio petere.

Sylueira in Euang. Tom. IV.

extra Ægyptum facultatem à Pharaone non est ausus postulare, sed aulicos deprecatores adhibet. Si imoni gratiam in conspectu vestro, loquimini de me in auribus Pharaonis, Gen. 50. n. 4. Cur per alios rogat, quod ipse facillimè per se obtineret? Abulens. ait: Non licebat Ioseph prorogare immediatè. Ac proinde in causa propria nõ se ipso voluit petere; ad nostrum scopum. Cum Ioseph esset valde ingenuus, non audet quidpiam per verecundiam in proprio negotio petere, etiam à gratissimo sibi rege. Ex quo in elemosynis elargiendis monet D. Ambros. lib. 1. de off. cap. 3. Considera, ait, in largiendo atas, atque debilitas: nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales. Vide supra cap. 28. num. 53. 54. 55.

Genes. 50.

Abulens.

Ambros.

65.

Iob 1.

Apoc. 12.

August. Ambros. Richard.

Diabolus etiam verecundatur, dum ambit omnes principatus.

De la Haye;

QUESTIO IX.

Quare mulier non solum pro filiis petit dexteram, sed etiam sinistram, quæ est assignatus reproborum locus?

POSTULAT mulier à Christo: Dic vt sedeat tibi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram. Non ait; Constitue, ac colloca eos, sed dic, idem est enim quod ipse dicat, ac fiat, & quod hos fratres ad primas sedes destinatos declararet, vt perficiat, ac adimpleat, non enim ad incepto ipse desistet. Petit mulier vt vnus ex filiis suis sedeat ad dexteram, alter ad sinistram, cur non cauit à sinistra, in qua reprobi collocantur? Rex statuet hædos à sinistris, Matth. 25. n. 33. Et tamen mulier non postulat, vt duo filij sederent ad dexteram, sed ait vnus à dextris, alter à sinistris.

66.

Qua Deus incipit, perficit.

Marth. 25.

Respon

Superst.

55. Alb. Magn. Dignitas non affectu sanguinis diuida.

Num. 27. Philo.

56.

Iudic. 8.

Dignitas pro merito, & non affectu carnis distribuenda.

57. Gen. 49.

Gen. 37.

Dignitas à merito, & non affectu.

Rupertus.